



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica**

**Huet, Pierre Daniel**

**Parisiis, 1679**

LIV. Porphyrii,

**urn:nbn:de:hbz:466:1-16260**

- Tacit. Hist. lib. 5, cap. 2.** Idem habet Tacitus, atque id præterea, Judæorum exundantem per Ægyptum multitudinem, ducibus Hierosolyma ac Juda, proximas in terras exoneratam. Scribit ibidem Plutarchus ex Phrygum historiis, Typhonem filium fuisse Iſaaci, qui fuit Herculis filius, Comitem quoque eum adjungit Æthiopiſſæ Regina; hoc est, ut videtur, Sephoræ, quæ filia fuit Raguclis, horum locorum reguli, juxta Artapanum, Ezekielum, & alios; quæque Æthiopiſſa appellatur in libro Numerorum, hoc est Chufitis: nam Chus, quæ Arabia est, Æthiopia fere redditur ab Interpretibus. Pluribus id argumentum persecutus est Bochartus in Hierozoico.
- Num. 12. 1.** XLVI. Locum hic sibi vindicat Phylo Byblius Sanchoniathonis interpres, cujus opus ad Mosis libros esse expressum supra docuimus.
- Boch. Hieroz. Part. 1. la. c. 34.** XLVII. Huic subjungemus Galenum Pergamenum, qui quam pertinaciter Mosis adhererent Judæi, in opere De differentia pulsuum, quam pie etiam ac prolixè de infinita Dei potentia sentiret Mofes, obiter in libro De usu partium corporis humani significavit.
- Philonis Byblij, Galeni, Gal. De diff. puls. lib. 3. & De vi. part. lib. 11. cap. 14.** XLVIII. Fuit etiam hoc ævo Ptolemæus Alexandrinus, Hephæstionis filius, cognomento Chennus, cujus ineptissimum hoc commentum refert Phorius, Mofem Judæorum legislatorem Alpha fuisse dictum, quod vitilagine laboraret, quæ ἀλφός Græce appellatur. Veteri hac calumnia jamdiu ante Ptolemæum istum vexati sunt Judæi, confilasse ipsos agmen hominum impetigine ac lepris affectorum, atque collecta hac hominum languentium colluvie Syriam repetiisse. Hoc ipsis objecerunt Manethos, Lyſimachus, & Apion; Josephus vero confutavit.
- Chenni, Ptolemæi, Ihot. Cod. 190.** XLIX. Objecit id & Trogus apud Justinum; objecit & Tacitus, qui veram Mosis, totiusque Judaicæ gentis historiam infuscavit aliis plerisque figmentis; cujusmodi multa hoc tempore adversus Judæos, vulgo odiosam gentem, jactabantur. Sed tamen non tantum fama mendax potuit, ut penitus veritatem extingueret: multis illa siquidem, iisque illustribus sese in hac narratione Taciti prodidit indicis.
- Joseph. lib. 1. contr. Apion. Taciti, Tacit. Hist. lib. 5, cap. 3. & 4.** L. Haufit Plinius ex eadem mendaciorum face, quod de Mose scripsit, magicæ nempe cujusdam factionis auctorem ipsum fuisse. Haufit & Apuleius inter famulos Magos Mofem celebrans.
- Plinius, Apuleii, Plin. l. 30. c. 1. Apul. apol. 2.** LI. Lucianus quidem de Mose pertinaciter siluit; sed Mosaica tamen nonnulla habet, velut accuratam Diluviæ, & Aræ historiam, quam se à Græcis accepisse ait. Multa quoque de Adonide & Ofiride narrat, quibus adumbrari Mofem suo loco à nobis demonstrabitur. At Auctor Dialogi, qui inscribitur Philopatris, & inter opera Luciani edi solet, Luciano licet videatur aliquanto vetustior, & circa Trajani tempora lucubratus, mundi creationem ipsis fere Mosis verbis narrat, eumque auctorem citat, & βεβαίως appellat, quod impeditoris esset & tardioris linguæ.
- Luciani, Lucian. De Dea Syt.** LII. Numenius autem Apameus, Pythagoricus juxta & Platonicus Philosophus, vir magni inter eruditos nominis, non apertam modo & explicatam Mosis injevit sæpe mentionem, sed suos etiam libros Mosaica doctrina locupletavit. Tradunt id Porphyrius, & Origenes; plurima vero assert Eusebius, unde id constare possit. Fertur imprimis hoc ejus dictum, τὴ γὰρ ἐστὶ πλάτων, ἢ μοῦσος ἀπὸ τῶν ἑσπερίων, quibus ingenue agnoscit Ethnicus Philosophus, Platonem illum qui à suis divinus appellatus est, dogmata sua à Mose sumfisse. Mofem præterea, non Prophetam solum dicit, ut testatur Porphyrius, sed Theologum etiam, & legum divinarum interpretem, ut ejus verba indicant, quæ recitat Clemens Alexandrinus. Alio loco Musæum eum nominat, Judæorum ducem, virum Dei precibus exorandi scientissimum, & calamitatum Ægypti auctorem.
- Numenii, Porphyr. De antr. Nymph. Origen. contr. Cell. lib. 4. Euf. De Psal. Evang. l. 9. c. 6. & 8. l. 11. c. 10. Clem. Alex. Strom. 1.** LIII. Longinus, Zenobiæ Palmyrenorum reginæ à consiliis & studiis, criticæ artis princeps, in aureolo libello ἐπὶ Μωϋσε, eximio Mofem elogio exornat; nam Dei potestatem pro dignitate cognovisse & elocutum fuisse ait: quippe qui, inquit, initio legum Deum dixisse scribat: Fiat lux, & facta est; Fiat terra, & facta est. Verumtamen quæ hic tanquam sublimia & ἰσχυροτάτη affert à Mose Longinus, ut ejus styli ἀσφόδρα approbet, simplicissima sunt. Rem quidem narrat Mofes longe maximam, sed stylo λιτή. Atque hinc adducor ut credam, hæc aliunde Longinum accepisse: nam si ad ipsos recurrisset fontes, & Mosis libros evolvisset, summam deprehendisset ubique χαρῶντις ἰσχυρότητα, quam persecutus esse Mofem puto, propter dignitatem materiæ, quæ doceri contenta respuit omnem ornatum. Cum cæteroqui cognoscatur ex ipsius Canticis, & ex libro Jobi, quem ejus factum esse ostendam, in sublimi hoc genere dicendi exercitatissimum fuisse.
- Longini, Porphyrii.** LIV. Longinum audivit Porphyrius Tyrius Philosophus, qui res Judaicas tractavit peculiari opere, & scriptis à se libris pestiferis Christianos oppugnavit. Cujus

vāsanā imitatore habuit Proclum Lycium, sed à Johanne Philopono egregie confutatum. Atque utinam tam æqua de his sensisset, quam recte scripsit Mosē verisimam de Judæis narrasse, quemadmodum deprehendisse se significat ex conflictu Commentariorum Sanchoniathonis. Itaque ex *ἐπιλογισμοῖς* temporum, juxta Porphyrii rationes ductis, colligit Eusebius Mosē annis plusquam octingentis Trojæ *ἄλωσιν* præcessisse, celeberrimos vero Græciæ Philosophos, Pythagoram, Democritum, & reliquos sequentis ævi, annis mille & quingentis. Quinetiam de Essæis Judæis loquens Porphyrius, eos esse ait *ἐβραῖος ἱεραὺς, καὶ διαφόροις ἀγγελίαις, ἔκ ποσειδωνίου ὑποφθιγμένου* *ἐπιμνηστικῶν ἀποφθιγμένων*. In sacris Libris, & variis expiationibus, & Prophetarum oraculis à tenera atate exercitatos: Legem & Prophetas his vocibus significans. Mosē quoque designare volens, τὸν νομοθετῆρα appellat κατ' ἐξοχήν.

Euseb. De Præp. Evang. libr. 10.

Porph. ἐπιμνηστικῶν ἀποφθιγμένων ἀποφθιγμένων.

L.V. Narrat Trebellius Pollio, jactare solitos Mathematicorum doctissimos, non amplius quam centum & viginti annos homini ad vivendum esse concessos, etiam illud addentes, Mosē solum, Dei (ut Judæorum libri loquuntur) familiarem, centum viginti quinque annos vixisse: qui quum quaereretur quod juvenis inierit, responsum ei ab incerto serunt numine neminem plus esse victurum. Simile quid habet Josephus, nempe vitæ terminum annorum centum & viginti spatio Deum circumscripsisse post Mosē, qui tantumdem vixit. Incertum illud numen hoc ipsum est quod designat Lucanus cum ait: *Incerti Judæa Dei*. Hic ipse est *ἀγνωστος θεός*, in Actis Apostolicis, & in Philopatride Dialogo, qui Luciano perperam adscribitur, memoratus. Hic ipse denique, cui Samaritæ in Epistola ad Antiochum, quæ extat apud Josephum, Templum *ἀγνωστον* in monte Garizim extractum esse scribunt. Causa porro hujus querelæ Mosi de immatura sua morte & fato præcoce, his videtur inesse verbis Deuteronomii: *Mosēs centum & viginti annorum erat, quando mortuus est: non caligavit oculus ejus, nec dentes illius moti sunt*.

Trebellii Polionis; Trebell. Poll. Claud. cap. 2.

Joseph. Antiq. libr. 1. cap. 7.

Lucan. libr. 2. Act. 17. 23.

Joseph. Antiq. libr. 12. cap. 7.

Deut. 34. 7.

L.VI. Porphyrii auditor fuit Iamblichus Chalcide Syriæ natus. Is librum suum De mysteriis Ægyptiorum decerpisse se ait ex Columnis Mercurii, quas Mosi doctrina fuisse inscriptas ostendimus.

Iamblichi,

L.VII. At minime mirum, cognitum fuisse & memoratum Mosē Juliano Imperatori τῷ ὁμοιωτάτῳ, qui in Ecclesia Christi adolevit. Mosi enim & Prophetarum, aliorumque Veteris ac Novi Testamenti scriptorum oraculis fundata nititur Christianorum fides.

Juliani ὁμοιωτάτου,

L.VIII. Quod de Mose scriperat Ptolemæus Chennus, Alpha scilicet fuisse dictum, quia corpus scabie & vitiligine punctum ac turpatum gereret, idem literis prodidit Helladius Besantinus, cujus vanitatis testem laudat Philonem. Id extabat in illius Chrestomathiis, è quibus excerpta quædam Photius repræsentavit.

Helladii Besantini,

Phot. Cod. 145. & 179.

Atque hos quidem scriptores retulimus, juxta temporum suorum seriem; reliquos qui sequuntur, quoniam ignota sunt & incerta ætatis, nullo certo ordine, sed prout quemque tulerit fors, digeremus.

L.IX. Primus occurrit Artapanus, Alexandro Polyhistro vetustior, qui Commentarium de Judæis reliquit, unde nonnulla apud Eusebium depromit Alexander, in quibus Abrahami & Josephi casus plerique diserte narrantur. Insigne vero & nobis perutile fragmentum illud affert, in quo Palmenothen Ægypti regem ait Artapanus male erga Judæos affectum, filiam suam Merrhin Chenephri, sive Necephri, ut legitur apud Clementem Alexandrinum, aut Chenebroni, ut in Fastis Siculis, superioris Ægypti regi despondisse: quæ cum sterilis esset, Moysum Judæum adoptasse, qui Muxæus à Græcis dictus est, & Orpei præceptor fuit; hunc deinde, postquam virilem attigit ætatem, optimis institutis Chenephri imperium fundasse, & egregius inventis exornasse; quorum ea fuit apud Ægyptios admirabilitas, ut divinos ipsi honores sub Mercurii nomine tribuerent, solum Chenephren virtuti Mosi invidentem, bellatum adversus Æthiopes, sic tanquam in certissimum misisse interitum; verum rem cecidisse præter spem, gloriam enim eum hoc bello reperisse; boum usum ad terræ cultionem ostendisse Nacheroti, & submissum demum Chanethothen sicarium ad interficiendum Mosē dum Merrhin defunctam humaret, ab ipso Mose fuisse interfectum; eum deinde cum Aarone fugisse in Arabiam ad Raguelem hujus regionis toparcham, & ejus filiam duxisse. His subnectit, visum Mosi in deserto ignem, & vocem auditam, quæ eum juberet ab Ægyptiaca captivitate eximere Judæos, & in antiquam patriam reducere, id exequi parantem, ab Ægypti rege fuisse in vincula coniectum, sed noctu demum patentibus sponte custodiæ foribus ad regem introisse, apertis vi divina regis valvis, & nemine prohibente: viso Mose attonitum regem petiisse ab eo Dei nomen, cujus ope talia perpetrare auderet; quo ad ejus aurem insufurrato corruisse mutum, & mortuo similem, sed vitæ statim à Mose restitutum, signum ab

Artapani; Euseb. Præp. Evang. libr. 9. cap. 13. 23. 27.

Clem. Alex. Strom. 5.